



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Iustitiæ domini rectæ, lætificantes corda, præceptum domini lucidum,
illuminans oculos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

inhærent, quibus exsecrati, imprudentes fiunt, nihil de absente deo sapientes, quod si etiam timore poenæ de deo loqui, audire, cogitareue cogantur, affectu mentem eo longius abeunt, & ipsi, quæ uident, immerguntur, id quod facit, testimonium domini nõdum factum tale, quod sapientiam præbeat paruulis, id est, sine spiritu doctum.

In hebræo, collectivè accipi potest עֲדוּת יְהוָה eduth edonai, id est, summa testimoniorum, seu quicquid est testimoniorum domini, quo modo אֱמוּנָה Almuth iuuentem, id est summam iuuentem, seu quicquid est iuuentum dicimus, tamen hoc parum ad rem, nisi quod elegantia regij Prophetæ obseruanda est.

Iustitiæ domini rectæ, lætificantes corda, præceptum domini lucidum, illuminans oculos.

Quintum, iusticias (quas alibi iustificaciones uertit, cum hic non sit זִדְקוֹת zidekoth, sed פְּקֻדִים pikudim, quod statuta, mandata quoque redduntur) rectas commendat factas Euangelio gratiæ. Lex autem domini iustificaciones dicitur ab effectu quod iustificent & in iustificando exercent, seu, ut hebræo consone mus, ordinent & dirigant hominem in faciendis, quibus pulcherrime conuenit laus rectitudinis & latitiæ. Antequam enim lex domini spiritualiter intelligitur uehementer in quietas perplexasque facit conscientias & multis operum ambagibus fatigat, dum sectantur iusticiam legis & tamen ad iusticiam legis nõ perueniunt, sicut figurat ambitus ille filiorum Israel in deserto ad litus maris rubri, ubi murmurabant præ dolore, & tedere eos coepit laboris & itineris. Neque enim operibus saturat lex, sed operadores suos, infinita exactione penitus exhaurit & uarie trahit, unde & contristat, tedio afficit, & difficiles, curios inuitosque reddit. At uersa in spiritum, id est amata, miro compendio expedit & recto cursu ad finem dirigit, facitque homines hilares ad omne bonum opus, dextros, instructos & paratos.

Litera molestat corda. Sextum ergo est, quod corda lætificat, cum carni longe contraria faciat. Litera enim occidit & molestat corda, dum nullis uiribus nec operibus sentiunt satisfieri exactioni legis, atque, quo magis student & operantur, eo magis debere se intelligunt. Aut si in hac parte non laborant, uana & peruersa operum fiducia lætantur, quia non in deo, nec in pura conscientia & lege domini sed in se ipsis delectantur, quæ non est lætitiæ cordis, sed corporis & sensuum, latentem intus in quietam tamen conscientiam, suo tempore proditura, quo modo, & sapientiam præstant testimonia, superbis, scilicet in litera, qua sibi sapientes uidentur, Lex enim, dum litera est, semper operatur utrum illorum, aut enim fictè conuertit, aut uere magis auertit, ita uel dat fictam sapientiam, uel magis facit insipientes, ita uel fictè lætificat uel magis contristat. Ideo spiritus tres legis habitudines tangit, dum non simpliciter dicit, Conuertens, sed addit animas, ita non contentus, dicere, Sapientiam præstans, addit paruulis, Et lætificantes, non quod libet, sed corda, sic de sequentibus quoque uidebimus. Triplex enim hominum genus indicat: Alios ignorantes, alios scientes & odientes, alios scientes & amantes legem.

Ignorata lex facit fictè conuersos, conuertit enim, sed non animas eorum. Odio autem habita, facit magis auersos, idque ex animo. Quo modo? qui enim uiribus suis præsumunt eam implere, nõdum cognouerunt, quod spiritualis sit lex, ideo statuunt suam iusticiam, arbitrantes, præ cæcitate sua, se legem impleuisse, scilicet

legionos, conuersos, & immaculatos factos, cum hac impietate bis sint macu-
lato, & bis peruersi, sitq; eis lex, bis maculata, & bis auertens animas eorum, hac *Bis peruersi.*
ipsa mala innocentia & conuersionis simularz opinione, semel q; reuera no-
uerit & auerit sint, secundo q; specie operum hanc nocetiam & auersionem
uolunt & factant superbientes, de ipsa uanitate & mendacio. Qui uero noue
nec legem q; spiritualis sit, posita ista præsumptione agnoscut a se per legem
cuiq; ea quæ nec possunt nec habent, unde discriuatur consciencia, aut odiunt
prohiberi suas concupiscentias, & exigi quod non habent, hoc odio, cū legem
notam odiant, magis auertuntur & peiores fiunt, ut & ipsis lex non sit immu-
lata, alia tamen causa, q; prædictis, Illi enim nec agnoscut esse immaculatam,
nec fiunt per eam immaculati, Hi aut agnoscut, & tamen non fiunt per eam
immaculati. Amantes uero, & agnoscut, & fiunt immaculati.

Ita testimonium domini ignoratum, facit fide sapientes, facit enim sapien-
tes, sed nō eos qui sunt paruuli, odio autem habitum, facit magis insipientes.
Quo modo? Dum eum præsument operibus satis facere ignorantes q; nihil fa-
ciunt, uidentur sibi sapere & omnia intelligere se q; fideles & ueraces factos,
cum his contraria sint operibus, nec habentes quo satisfaciant q; nihil fa-
ciunt, sed sibi ipsi infideles & uani, nec habentes quo satisfaciant, magis insipientes fiunt,
domini, nolentq; se illis astringi, qua mala uoluntate magis insipientes fiunt,
& ad ea quæ super terram sunt sapiēda magis trahuntur, quia mallent illa inui-
sibilia non esse tātum abesse, ut ea sapiant. Ita neutris est testimonium domini
fidele & sapientes faciens, sed diuersa causa, Illis, q; nec intelligunt q; fidele sit,
ipsi uanissimi, nec sapientes per ipsum fiunt, His, q; uident quidem esse fidele,
se q; uanos, non tamen per ipsum erudiuntur ut sapiant. At amantibus & fide-
le est, & erudiens sapienter.

Sic iusticia ignorata fide latos facit, latificat enim, sed non corda eorum,
inhant gaudio superbos in operibus suis, ut sibi recti & iucūdi uideantur, cum
reuera (ut Salomon Ecclesiast. iij. ait) ignorent, quantum faciant mali, & intus
habeant conscientiam cōfusiſsimam & minime omnium directam. At qui co-
gnoscut se rectos quidem nō esse, & legē exigentē, in uaria sollicitantur, odi-
unt legem & multis molestijs agitatur, semper tristes coram domino in omni-
bus uis suis. Sicut Malach. iij. Ambulauius tristes corā domino. Ita neutris,
iusticia domini sunt recta & latificantes corda.

Septimum, Præceptum domini lucidum. Mihi uidentē interpretes, lucidum,
reddidisse, quod in hebræo, mūdum seu electum dicitur. Est enim eadē dictio,
quæ psal. xvij. ponitur, Et cū electo electus eris, forte moti, eo quod sequitur,
illuminans oculos, quod magis lucido, q; electo competat. Tum, q; forte nu-
gationem uitare uoluerūt, cum superius, Immaculatā legem, uerterint, neutra
autem causa satis est. Cur enim & iusticias nō potius latas, q; rectas, dederunt,
cum sequatur, Latificantes corda, aut testimonium sapiens, pro fidele, cum se-
quatur, Sapientiam præstans? Sic & in cæteris, nullius conuenientia ratio ha-
betur. Immaculatam autē diximus proprie significare in hebræo, innocetem,
aut id quod Paulus Ro. vij. legi tribuit iustam, sanctam, bonam. Sit ergo, præ-
ceptum domini electum.

Præceptum autem dicitur proprie ab eo quod exigit & prohibeat ideo q; ea
parte legem dei comprehendit, qua est molestissima & odiosissima: Si quidem
doctri & ordinari & dirigi (quæ legis, testimoni & iusticiarum esse diximus)
molliora sunt & minus ea fert humana superbia: At præceptum rigidum exa-
M m ij ctorem,

ctorem, asperumque dominatorem, odit & cōtemnit, nec nisi inuita & murmurans obtemperat, ab ijs autem, qui non intelligunt, id est, a primo illo hominum genere, quos hypocritas diximus, putatur electum haberi, dum operibus suis presumunt ei respondere, Veniente autem spiritu, qui amorem præcepti accendit, non modo non cōtemnitur aut oditur, sed inter præciosissima & electissima habetur. Tunc enim uere fit, præceptum domini electum, ita ut pro nulla re mundi, nolint ipsum esse positum, ac si positum non esset, summe optarent poni.

Octauum, Illuminans oculos, ignaros hypocritas, qui in specie operum superbiunt, reuera excæcat, cum sese illuminatissimos esse credant, & nihil non uidere, Illuminat enim, sed nō oculos eorum. Alios uero profus excæcat, qui odio præcepti, eo ducuntur, ut nihil uilius & abiectius eo habeant, suas uero cupiditates ei præferant & eligant in corde, quantumuis metu coacti aliud simulent & ipsi. Quæ enim maior cæcitas, pro electissimo dei præcepto habere electissimarum & præciosissimarum rerum loco, foedas cupiditates eodem præcepto prohibitas? Amâtes autem, qui cupiditates foedissimas esse ducunt, nihil habent electius & præciosius, præcepto domini, quod tã foedas res, non modo ostendat, aut testetur sed etiam penitus prohibeat, & nō esse iubeat. Delectantur enim esse eas prohibitas rigidissime, & contrarias res esse exactas instatissime, ita in omnia eorū uota cōsonat præceptum dñi electissimum. Hi enim habent oculos illuminatos, clare uidentes res uere amandas & uere odiendas.

Anteq̃ uero cætera, psequamur, neue diutius p̃deamus animis, querimus, qua uia ad hoc perueniatur, ut lex sit nobis immaculata, testimonium fidei, iusticie recte, præceptum electum, timor castus, iudicia uera, & cætera eueniãt quæ de ea dicta sunt & dicentur. Respōdeo, Nunq̃ eo peruenitur operando & laborando, quia operibus & laboribus non impletur, sed desperando de operibus & laboribus. Non enim delectare potest lex, ante sui impletionem, sed post impletionem, cum autē operarij, id agant operibus suis stulti, ut eam impleant, & nunq̃ de se desperent, necessario fatigantur & laborant frustra, donec enim apud se inueniunt, quod exactrici legi persoluant, operari, ac per hoc in quietu esse & legem odisse, nō cessant. Ita lex eos exhaurit & fatigat, donec consumat eos in æternum. Qui autem impotentiam suam experti, & insuperabilem legis exactionem confessi, de se desperant & ad Christum unicum legis impletorem confugiunt, audientes & credentes in eum, ut qui finis est legis ad iusticiam omni credenti, Quisquis talis est, hic ante omnia opera sua & sine ulla lege, gratis hac humilitate & fide sua, accipit spiritum sanctum, qui non operibus, sed suæ uirtutis gratia sola, accendit nouam & dulcem concupiscentiam charitatis & odisse facit concupiscentiam lege prohibitam, quo facto, uoluntas iam in aliam mutata, intuetur legem domini, uidetque eã, id ipsum præcipere & prohibere, quod ipsa spiritu succensa, & cupit & amat. Ita fit, ut legem sibi per omnia ad uotum respondentem, non possit non amare, laudare, & ea cantare, quæ his uersibus cantantur.

Tunc enim uidet, non legis sed uoluntatis uitio fieri, ut lex augeat peccatum & operetur iram eo ipso, dum immaculata est & conuertit animas, sapientes facit, latificat & illuminat oculos. Si enim lex natura sua peccatum auget, & iram operaretur, idē faceret charitas legis amica & illi per omnia consentiens. Quod & facit, ubi extra uoluntatem fuerit, sicut lex semper extra uoluntatem est, ubi charitas præsens non est. Nam quid operabatur charitas Christi in ludæis,

deus, nisi maiorem iram & peccatum. Sic lex quoque operatur in omnibus hominibus, donec extra uoluntatem eorum est, non est autem in uoluntate eorum, nec uoluntas eorum in ea, donec diligatur, & hoc ametur quod lex precipit.

Timor domini sanctus, permanens in seculum seculi, iudicia domini uera iustificata in semetipsa.

Hebreus proprie habet: Timor domini purus seu mundus, Nec hoc dicitur, uelut epitheton (ut uulgo sentiunt) quo discernatur a timore seruili, quantum ego capio, sed timor domini simpliciter hic accipitur, pro timore dei, quem titulo laudis demonstrat, per Euangelium fieri, in cordibus calore uerbi ardentibus, purum, qui in omnibus alijs est impurus, id est habet impurus, Quod facilius intelligimus, si de timore & puritate eius obiectiue uersum hunc dictum accipimus, ad modum quo de omnibus predictis disputauimus. Sic enim & lex domini simpliciter accepta, immaculata est, sed non nisi immaculatis, nocentibus autem est nocens & odibilis. Sic testimonium domini fidele, pijs, sed impijs, infidele, ita preceptum domini, electum electis, reprobum autem & abiectum reprobis, ita & hic, purus referri debet non ad timorem ipsum, sed ad affectum eorum, quibus purus iudicatur, qualis enim quisque est, talis est ei & lex, & quae legis sunt.

Nonum igitur est, Timorem domini esse purum, ubi hypocritae & ipsi fingunt se timere deum & puros esse in timore domini, cum sint bis impuri, & in corde reuera eum contemnant. Alij uero impuritatem suam non ignorantes, sentiunt se non timere deum, mallentque licere, non timere, eligentes impuritatem cordis sui deum contentis & non uidentis. Amantes uero, oculos illuminatos habentes & deum cognoscentes, uident, quod pura res sit timor domini, quod nihil negligat, qui timet dominum, & declinet a peccato, delectatur in hac puritate, quia & ipse sic sentit, ut timor exigit, factus concors per omnia.

Quartum autem, unde timor inter leges & praecipua numeretur, & non potius uel aequae amor. Nescio quid dicam, Conabor tamen, Quia solus amor est, qui legem & ea quae lex operatur, facit salutaria & bona: Lex autem potissimum suscitatur timorem dei, ut Exo. xix. monstratur in filijs Israel coram monte Sinai & in omnibus, qui exactrice & comminatrice lege redeunt ad cor, & compunguntur. Hic timor, quia foris est & extra uoluntatem, sicut & lex quae eundem suscitauit, id est, non amatur, ideo non suo, sed uoluntatis uisio impurus est, ubi autem amatus fuerit, purificatur: Tunc enim timet deum, sicut & amans uoluntas desiderat, factus eidem concors per omnia. Amor enim delectatur, si deum timeri uideat, id quod lex non solum iubet, sed & facit. Cum ergo hic de timore dei, quem lex suscitatur, loquatur, qui amatus, est purus, oditus, est impurus, non male inter legis nomina censetur, immo & ipse uideatur esse, lex literae, cum reuera litera legis non cognoscatur, nisi uerita conscientia a facie legis & lege quodammodo in timorem terribilem uersa, sicut mons Sinai, figura legis demonstrat.

Decimum, Permanens in aeternum. Sicut enim lex per amorem impleta, fit aeternus in aeternum, ita & timor e lege natus, dum amore imbuitur, aeternus fit. Atque ut lex, dum non amatur nec impletur, temporalis est, & saepius obliuioni traditur, ita timor quoque, nisi ametur, temporalis ad horam manet, & nunquam firmus.

M m iij nec